

8 Criminalium Lib. Primus.

temporalium, non prius manum ad decisionem Causae admouebut, quam Rotae fideliter, & adamassim statum Causae, & processus cum eorum voto retulerint, ac responsum decisuum habuerint; quod ad vnguem seruari, & exequi teneantur.

Ad suprascriptum Cap. ad verba illa, & tribus curijs, declaratio.

Declaramus illos tantum delictorum processus ad Praetorum Genuae remittendos esse, pro quibus pena corporalis, videlicet ultimi supplicij torturæ, siue mutilationis membrorum imponenda foret, minorum namque electorum processus in suo solito & consueto relaxauimus.

Cap.V. De officio, & salario fiscalis.

Asistat Rotæ Criminali fiscalis unus Iureconsul-tus, quem & exterum & versatum in causis criminalibus esse decet, & nulli Ciui Genuensi affinitate coniunctum, ut libere & sincerè munus suum obire valeat. Habeatque pro salario annuo scuta auri tricen-ta in singulos quattuor menses ex ærario publico ero-ganda; ultra habitationem, & alia commoda præemi-nentias & immunitates persuos antecessores percipi so-litas, & consuetas, durabit eius munus triennio; Eli-getur, & sindicabitur non aliter ac Rotæ Criminalis Auditores, sciatque nihil magis muneri suo conuenire, quam processuum, & causarum celerem expeditionem instare; omnique studio & diligentia curare, ut rei de-bitas delictorum penas luant. Aduertet insuper & in-uigilabit, ne fiscus in mulctis & condemnationibus pe-cunia-